


OFFICIVM S. PETRI DE ALCANTARA CONFESSORIS ORDINIS MINORVM CVM OCTAVA.

DVPLEX.

A Sacra Rituum Congregatione recognitum, & approbatum.

A Fratribus & Monialibus eiusdem Ordinis die xjx. Octobris & sequentibus recitandum.

DIE XIX. OCTOBRIS
In Festo
S. PETRI DE ALCANTARA *Confessoris.*
DVPLEX.

In secun: Vesp: S. Lucæ Euangelista, secundùm Rubricas Breuiarij Romani, fit de S. Luca cum commemoratione S. Petri de Alcantara; at vbi celebratur Festum S. Petri tanquàm de titulari, vel Patrono, Vesperæ fiunt de S. Petro, cum Commemoratione S. Lucæ.

AD VESPERAS.

Antiphona.

SAnctus Petrus de torrentè mortificationis in via bibit, propterea exaltauit caput in gloria. *Psal:* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica & loco vltimi Psal:* Laudate Dominum omnes Gentes. *Anti:* Memor fuit testamẽti Patris sui Francisci, Eccl: & domos pauperes ædificauit. *Antiph:* In omni angustia & præssura paratũ cor eius sperare in Domino. *Antiph.* A solis ortu vsque

ad occasum laudabile nomen Domini magnificauit.

Antiph. Omnes gentes laudabant eum, & in conspectu Principum admirabilis fuit

Capitulum. Phil. 3.

FRatres, imitatores mei estote, & obseruate eos, qui ita ambulant; sicut habetis formam nostram.

Hymnus.

PETRE Sol terris oriens Iberis,
Lucis vt spargas radios per Orbem,
Quas tuo læti canim⁹ triumpho,
Suscipe laudes.
Per te in antiquos renouata mores,
Clara Francisci soboles nitescit,
Crescit & virtus rediuiua largo
Munere Cœli.
Omne quod vitam maculat perosus,
Mente constanti pereuntis æui
Despicis pompam, precibusque placas
Numinis iram.
Artubus castis nimium seuerus
Te fame, & diris crucias flagellis,
Sternis & noctu fatigata duro
Stipite membra.
Dignus hinc celsas habitare sedes.
Sæpè sublimis volitare in altum
Visus, & Mundi, fugiens tumultum,
Proximus astris.
Nunc preces audi, gemitusque nostros,
Integros nobis sine labe mores,
Et tuos nostris animis salubres
Ingere sensus.
Annuat rerum Sator, & perenne
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi Flamen, Deus vnus omni
Tempore sæcli. Amen.

℣. Ora pro nobis B Petre.
℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

AD MAGNIFICAT

Antiphona.

O Virum ineffabilem, qui viuens in carne, spiritu ambulauit, & nihil in terris desiderans, conuersatio nem

nem suam semper in Cælis habebat.

Oratio.

DEus qui B. Petrũ Confessorem tuũ admirabilis pœnitentiæ, & altissimæ contemplationis munere illustrare dignatus es, concede propitius; vt eius suffragantib⁹ meritis, carne mortificati cœlestium donorum participes fieri mereamur. Per Dominum.

AD MATVTINVM.

Inuitatorium.

Regem gloriæ, qui humilem exaltauit Petrum, Venite adoremus.

Psal. Venite exultemus.

Hymnus.

PEtrum Parentis optimi
Germen canamus inclytum,
Qui pauperum pauperrimus
Extrema quæque pertulit.
Hic Christi amore saucius,
Vt perditis succurreret,
Stupenda pœnitentiæ
Exempla Mundo præbuit.
Sitim, famemq; sufferens
Et veste tectus hispida,
Quicquid luendum est noxijs,
A se flagellis exigit.
Loris reuinctus ferreis
Exangue corpus conficit,
Et singulis ex artubus
Emanat vnda sãguinis.
Dum flexo adorat poplite
Crucis sacratũ stipitẽ,
Crux emicat diuinitus,
Ipsũq; splendor imbuit.
Decus Minorum suscipe
Laudes, precesq; supplicum
Tuos ab alto mitiùs
Pater Beate respice.
Sit laus Patri, sit Filio,
Tibiq; Sancte Spiritus;
Duc per Petri vestigia
Nos ad superna gaudia.
Amen.

IN I. NOCTVRNO.

Antiphona.

Petrus ob pænitentiam aridæ radici similis, secus decursus aquarum gratiæ plantatus, fructus dedit in tempore suo. *Psal.* Beatus vir qui non abijt. *Antiph.* Seruiuit Domino in timore, & exultauit ei cum tremore. *Psal.* Quare fremuerunt. *Antiph.* Dormiuit, & soporatus est, quia Dominus suscepit eum in oratione.

tione. *Psal.* Domine, quid multiplicati sunt. ℣. Amauit eum Dominus, & ornauit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum. Pater noster. *Absolutio.* Exaudi Domine. ℣. Iube domne. *Benedictio.* Benedictione perpetua.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Philipp:

Lectio j. Cap: 3.

FRatres, quæ mihi fuerũt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentũ feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciã, & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est; sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu: quæ ex Deo est iustitia in fide ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius: configuratus morti eius. Si quomodo occurram ad resurrectionẽ quæ est ex mortuis: non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quo modo cõpræhendã, in quo & cõprehẽs⁹ sum à Christo Iesu. ℟. Mortuus est Pater noster Seraphicus, & quasi non est mortuus; similem enim sibi reliquit Petrum post se: * Quem constituit defensorem domus suæ. ℣. Hic ambulauit per omnes vias Patris sui, non declinauit ad dexteram, siue ad sinistram. Quem constituit. *Benedictio.* Vnigenitus Dei Filius.

Lectio ij.

QVicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit: Verumtamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Christi: quorum finis interitus: quorum Deus vẽ-

ter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autẽ conuersatio in Cælis est; vnde etiam Saluatorem expectam⁹ Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suæ secundum operationẽ, qua etiam possit subijcere sibi omnia.

℟. Ecce seruus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum. * Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te.

℣. Honorabilis factus est in oculis Dei, & gloriosus. Cùm transieris. *Benedict.* Spiritus Sancti gratia. *Lectio iij.* Cap. 4.

DE cætero fratres, quæcunq; sunt vera, quæcunque pudica, quæcunq; iusta, quæcunque sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ; Si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agitè: & Deus pacis erit vobiscum. Gauisus sum autem in Domino vehementer; quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut & sentiebatis: occupati autem eratis. Non quasi propter penuriam dico: Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abũdare (vbique & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriã pati; Omnia possum in eo, qui me confortat. ℟. Noli timere seru⁹ meus, quem elegi, effundam spiritum meum super semen tuum: * Benedictionem meam super stirpem tuã. ℣. Germinãs germinabit sicut liliũ, eritq; anima eorum, quasi hortus irriguus: Benedict. Gloria Patri, &c. Benedictionem.

IN II. NOCTVRNO.

Antiphona.

MIrificauit Domin⁹ Sanctum suum, & exaudiuit eum clamantem ad se. *Psal.* Cùm inuocarem. *Antiph.* Exultabat in Deo spiri-

spiritus eius, & ipse habitabat in eo *Psal.* Verba mea. *Antiph.* Admirabile reddidit nomen tuum Domine in vniuersa terra, & ideò constituisti eum super opera manuum tuarũ *Psal.* Domine Domin⁹ noster, ℣. Os iusti meditabitur sapientiam.

℞. Et lingua eius loquetur iudiciũ. Pater noster. *Absolutio.* Ipsius pietas, *Benedict.* Deus Pater omnipotens: *Lectio* jv.

PEtrus natione Hispan⁹, nobilibus Parentib⁹ Alcantaræ in Extrema dura natus, ab ineunte ætate morũ innocentia, & grauitate futuræ præbuit indicia Sanctitatis. Vix sextum pueritiæ annum attigerat; cùm orationi frequenter vacans, supernarum rerum contemplationi, attento sic animo adhærere cœpit, vt in Deo totus absorptus interdum extra se raperetur. Prouectior deinceps ætate, post studia, in quibus mirè in dies proficiebat, pijs misericordiæ operibus, carceribus, & infirmis visitandis, Ecclesijs, ac Religiosorum Domibus perlustrandis, atque Missis deuotè inseruiendis tempus omne insumebat. Ab eo tempore atrox, corpori suo tanquam infensissimo hosti bellũ indicens, præter cibi parsimoniam, atq; à vino abstinentiam; ob leuissimos defectus asperrimis illud flagellis macerabat. Quotidie sibi tanquam mortuo Psalmũ De profundis recitans priusquam cubitum iret, animam suam Deo commendabat. ℞. Minister Christi fuit in laboribus plurimis in plagis supra modum, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis in solitudine. * In ærumnis, in vigilijs, & in ieiunijs multis, in fame, & siti, in frigore, & nuditate. ℣. In omnibus exhibuit semetipsum sicut Dei Ministrum in multa patientia. In ærumnis. *Benedict.* Christus perpetuæ. *Lectio* v.

ALtioris perfectionis flãma succensus, Seraphicum strictioris disciplinæ Institutũ sextodecimo ætatis suæ anno in noua Custodia Sancti Euangelij, siue. extremaduræ Fratrum Mino-

Minorum Discalceatorum suscepit. Mox Nouitiat⁹ primordia tanto virtutis ardore arripuit, vt rigidissimæ pœnitentiæ orandi assiduitatẽ adiungens, pro uectiores etiam hoc studij genere in ea Domo anteiret. Anno probationis feliciter expleto, ad altiora mortificationis, strictioris inopiæ, ac sublimioris cõtemplationis exercitia anhelabat. In oculorum custodia præcipuè enituit; Ecclesiæ ac cellæ (in qua per integrum annũ commorat⁹ fuerat) ex qua materia laquearia forent, nunquam obseruauit: Et post exactum in Conuentu trienniũ Fratres non ex vultu, sed ex solo cognoscebat auditu; quod etiam cùm ad propinqua loca ex obedientia mitteretur, rigidè est prosecutus. Silentium quoque puri cordis custodiam à principio ita coluit; vt per tres annos continuos, quosdam in ore lapillos deferens, à verbis otiosis disceret abstinere.

℟. Virtute multa præditus Sanct⁹ Pater inuictũ ab oratione spiritum non relaxabat. * Cùm fructu operum proferens Diuinæ Sapientiæ verba. ℣. Diebus, ac noctibus non cessabat à supernis colloquijs & oratione. Cùm fructu operum *Benedict.* Ignem sui amoris

Lectio vj.

POst plura Religionis ministeria, in quibus tanquàm omnium nouissimũ sese exhibuit, Fratrũ Præfectus constitutus, ipsorũ, hospitumq; pedes proprijs manibus lauabat; cum ijsdem panẽ ostiatim emendicabat; & interdum inter cœmentarios opifices bajuli officio fungebatur. Infirmorum curam à Deo peculiariter sibi commissam dictitans; in subditorum necessitatibus sublenandis ita sollicitus erat; vt nobilium tamen Virorum largitionibus persæpè fræna inijceret, veritus nè cult⁹ paupertatis à se vnicè dilectus, elemosynarũ copia obrueretur. Quare Fratres his instructi exemplis, atque à salutaribus Sancti Viri monitis, ad perfectioris vitæ normam

inflammati, nonnullis Cō-stitutionibus (quæ arctioris disciplinæ formam continebant) Petro admonente, sese vltrò subiecerunt. Adijt quoq; Vir Religionis zelo plenus Lusitaniæ Regnum; vbi arctissimæ Arabidorum paupertatis initia adiuuit, atque prouexit. ℟. Cùm introisset in hortum, in quo fixa erat Crux, expansis manibus orabat dicens suscipe me, & salua me, ô bona Crux. ℣. Resplenduerunt montes ab ea, & nubes lucida obumbrauit caput eius. Suscipe me. Gloria Patri. Suscipe me.

IN III. NOCTVRNO.

Antiphona.

NVllam concessit requiem corpori suo, ideò requiescit in monte sancto tuo. *Psalmus.* Domine quis habitabit.

Antiph. Præuentus est in benedictionibus dulcedinis & lætificauit eum Dominus in gaudiò cum vultu suo. *Psal.* Domine in virtute tua. *Antiph.* Innocens manibus, & mundo corde misericordiam accepit à Deo Salutari suo. *Psalmus.* Domini est terra. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius. ℟. Et non supplantabuntur gressus eius. Pater noster, &c. *Absolutio.* A vinculis. *Bened.* Euangelica lectio.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

Lect: vij. Cap: 12.

IN illo tempore. Dixit Jesus Discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia Sancti Petri Chrisologi Episcopi. *De terrenorum cura despicienda serm. 22.*

PRæmia statuuntur his semper, quibus certamina dura proponuntur, ac pro magnitudine certaminis, præmij proponitur magnitudo. Hinc est, quòd Discipulis suis Christus Regnum ponit in præmio, vt in certamine non cedant periculis, non timori. Pericula despicit, qui tendit ad Regnum; Victo-

Victoriæ cupidus nescit timere: Nolite timere (inquit) pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum, Grex pusillus Mundo, magnus Deo; pusillus quia gloriosos vocat eos, quos instituit ad ouium innocentiam, & mansuetudinem Christianam. Pusillus grex est, qui non de magno minuitur, sed crescit de pusillo; pusillus grex nascentis Ecclesiæ sic designat infantiam, quam venire ad Regni sui infulas incrementis cœlestibus mox promittit. ℟. In magna siccitate preces fudit ad Deum, & ecce Cœli contenebrati sunt & facta est pluuia grandis. * Quis est hic, quia venti, & pluuiæ obediunt ei? ℣. Dum sacra Mysteria in campo perageret, dixit & stetit spiritus procellæ. Quis est hic. *Benedi* Cuius festum colimus.

Lectio viij.

Adiecit quid faciendum sit regnaturis: Vendite quæ possidetis, date eleemosinam, facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in Cœlo: Vendite quæ possidetis. Deiectæ mentis est, qui familiaris rei meminit, cùm vocatur ad Regnum: lacens animus plebeius nũmulum thesauris Regalibus anteponit; pauper sensus paruis incubãs perdit magna, & inhians temporalibus, deserit sempiterna. Vendite, inquit, quæ possidetis. Homo, tali monitu Christus te ditare voluit, non nudare; manere tibi tua voluit, non perire, perpetuari, non vacuari, sacculos imperauit, iussit te transferre, non perdere. ℟. Domine Iesu Christe, cui Sanctus Petrus adeò fideliter in vita sua seruiuit, vt in tempore iracundiæ fieret reconciliatio. * Exaudi propter eum preces nostras, & da nobis salutem animæ & corporis. ℣. Qui famulæ tuæ Teresiæ dixisti, te semper in Petri nomine petentes exauditurum. Exaudi propter eum. Gloria Patri, & filio, & Spiritui S. &c. Exaudi. *Bened.* Ad societatem.

Lectio

Lectio ix.

THesaurum non deficientem in Cælo, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Plus con-silio Patris agit, quàm in re dominantis; inter insidias latronum, & tinearum morsus, quare tua recondas abiurgat: peruigiles noctes, dies anxios, sollicita tempora, nè tibi ipse facias commoneris. Auri custos, seruator argenti, securitatem non habet, nescit quietem, & cui deest securitas, quies perit, pœna diues est ille, non censu. Thesaurum non deficientem in Cœlo; hoc est dicere, vbi ego sum, ibi ponite: date mihi, ego seruo.

Te Deum laudamus.

AD LAVDES ET per HORAS.

Antiphona.

MIrabilis in Petro Dominus, cuius testimonia credibilia facta sunt nimis. *Psal.* Dominus regnauit. *Cum reliquis Antiphona.* Potens opere, & sermone multiplicauit Populum Dei & oues pascuæ eius. *Antiph.* Adhæsit anima mea post te, quia caro mea flagellata est pro te Deus meus. *Antiph.* Charitate vulneratus, Creaturas omnes Cœli, & terræ ad benedicendum Dominum prouocabat. *Antiph.* Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciebant verbum eius.

Capitulum. Phil. 3.

FRatres, imitatores mei estote, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.

Hymnus.

HOrtus Minorũ fertilis
Florem nouellum germinat,
Odore qui gratissimo
Mundi repleuit ambitũ
Miris nitens virtutibus,
Signis refulget plurimis,
Terris, aquis, & ignib⁹,
Auræque, nimbis imperat.
Ex fuste tellus arido
Inuita fructus protulit;
Sanctis subacta gressib⁹
Iter dederunt flumina.
Delapsa nix è nubibus
Suspensa Cœli robore,
Cunctis stupendam sæculis
Parauit ædem corpori.

Extin-

Extinxit ignis impetum,
Agros rigauit imbrib⁹:
Ieiuna Fratrum corpora
Esca cibauit cælica.
Præsens adest absentibus
Affert medelã langui-
dis,
Cas⁹ futuros prospicit,
Motusq; cordis detegit.
Patri simul cum Filio,
Sãctoq; laus sit Flamini,
Qui nos ad Aulã gloriæ
Petri precatu dirigat.
AMEN.

℣. Ora pro nobis beate Pe-(tre
℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

AD BENEDICTVS.

Antiphona.

Beatus Petrus quasi vas auri solidum ornatũ omni lapide pretioso, fluenta gratiæ propinauit in Populo, & accepit stolam gloriæ in consummatione virtutis.

Oratio.

DEus, qui B. Petrum Confessorẽ tuũ admirabilis pœnitentiæ, & altissimæ cõtẽplationis munere illustrare dignatus es; concede propitius; vt eius suffragantibus meritis, carne mortificati cœlestiũm donorum participes fieri mereamur. Per Dominum.

AD TERTIAM.

Antiphona.

Potens opere, & sermone. *Capit.* Fratres imitatores mei estote. ℟. *Breue.* Amauit eũ Dominus. * & ornauit eũ Amauit. ℣. Stolam gloriæ induit eum. Et ornauit. Gloria Patri. Amauit eum. ℣. Os iusti meditabitur sapientiam. ℟. Et lingua eius loquetur iudicium.

AD SEXTAM.

Antiphona.

Adhæsit anima mea.

Capitulum. Phil. 4.

QVæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite; & Deus pacis erit vobiscum.

℟. *breue.* Os iusti * Meditabitur sapientiã. Os iusti. ℣ Et lingua eius loquetur iudicium. Meditabitur. Gloria Patri, &c. Os iusti. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius. ℟. Et non supplantabuntur gressus eius.

AD NONAM.

Antiphona.

Jgnis, grando.

Capitulum. Phil: 4.

SCio & humiliari, scio & abundare (vbiq; & in omnibus institutus sum) satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat. ℟. *breue.* Lex Dei eius. * in corde ipsius. Lex. ℣. Et non sup. plantabuntur gressus eius. In corde. Gloria Patri. Lex Dei. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, ℟. Et ostendit illi Regnum Dei.

Ad Vesp. Antiphona, Psal. Capit. Hymn. & Vers. vt in i. Vesp.

AD MAGNIFICAT.

Antiphona.

O sanctissima anima in cuius transitu Cæli ciues occurrunt, Angelorum chorus exultat, & gloriosa Trinitas inuitat, dicens; Mane nobiscum in æternum.

Oratio vt supra.

Die xx. Octobris.

Secunda die infra Octauã S. PETRI.

In primo Nocturno Lectiones de scriptura occurrente. In secũdo Noctur. Lectio iv.

AD maiora Domino suo obsequia præstanda, sentiens se eiusdem afflatu impelli, primæuam sui Ordinis disciplinam propagare decreuit. Incredibile dictu quantas in hac re difficultates superauerit, insignioribus à Domino prodigijs eo tempore illustratus. Ope igitur diuina, & auctoritate Apostolica instructus, primã nouæ Reformationis Domum augustissimam, atque pauperrimam sub Immaculatæ Cõceptionis titulo prope Pedrosum ædificauit; in qua vnà cum paucis socijs mortificatus quidem corpore, sed spiritu viuificatus, austeram nimis vitam ducens, Apostolicum sancti Francisci spiritum renouauit. Hinc alios Conuentus Paulo Quarto annuente cõstruens, ijs additis, qui se eius obedientiæ submiserunt, sancti Iosephi Prouinciã fundauit; & mox transmissis in Regnum Valentiæ socijs, originem dedit Prouinciæ sancti Ioannis Baptistæ. Quod deinceps asperrimum vitæ institutum

tum per varias Prouincias dilatatum, ad Indias vsque cum ingenti animarum fructu feliciter pertransiuit. ℞. Minister Christi fuit.

Lectio V.

PLurimum quoq; in promouenda Carmelitarũ Reformatione, à Sancta Virgine Theresia incœpta desudauit. Auilæ Episcopum, & primarios eiusdẽ Vrbis Ciues, extremæ pau pertatis, quæ in nouo Monasterio obseruanda erat, accerrimos contradictores sæpiùs pro illa admonuit. Eidem Sanctæ in magna animi afflictione constitutæ. quamuis longè dissitus mirabiliter præsens adfuit, atque difficultates omnes in sua fundatione, quam primum dissoluendas fore significauit Digna quoque eadem fuit semel eum in aëra sublatum intueri; à Domino edocta quod nihil omninò in nomine serui eius quisquã peteret, quod Diuina misericordia prõptè nõ exaudiret. Ad illius preces confugere solita, eiusdẽ sancti Viri meritorum efficaciam semper se expertam fuisse testabatur: Ideoque eum adhuc viuentem Sancti nomine sæpiùs appellare consueuit. ℞. Virtute multa.

Lectio VI.

NEque ad tam præclarũ cœlestis doctrinæ Magistrum, Sancti dumtaxat Viri, ac pietate celebres; verum etiam sæculi quoq; Principes, ac Præsules certatim ipsum audituri confugiebant, Primarij Aulæ Proceres, ac Duces prope eius Monasteria, Domos conducebant, tanquam eius vicinia tuti essent, solaq; tanti hominis præsentia munirentur. Carolus Quintus Imperator, Reges quoquè Lusitaniæ sæpiùs eum aduocantes, de grauissimis cum eo negotijs conferebant; quorum nihilominùs honores, & munificẽtiã Verus humilitatis amator suauissimè declinare studebat. Hinc etiam prædicti Imperatoris, & Ioannæ Austriacæ, Sororis Philippi Secundi Regis Catholici, Cõfessarij munus prudenter recusauit. Sæpè etiam relictis nobilioribus,

bus, pueris, ac pauperibus blandè associatus, animi elatione castigabat. ℟. Cũ introisset.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio sancti Euangelij, secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore. Dixit Iesus Discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum. Et reliqua. Homilia S. Petri Chrisologi Episcopi. *de terrenorum curæ despicienda. serm. 21.*

SI in hac vita, qua peregrini sumus, & modicum viuimus, temporalem esse pauperem dolet, tristat inhonorũ esse; quale est in perpetua Patria inter æternos Ciues, de contemptu dolorem, de ignobilitate pœnam, de nuditate opprobrium sustinere; & tunc addici pœnis, quando alij promouentur ad Regnum? Quando pauper ducitur ad cõfessũ Dei, & diues trahitur ad consortium punitorum; Heù quàm lamentandæ vices! quando desperati penè homines, possidebunt spem Diuinã, & humanis bonis prædicti, bonis cœlestibus fraudabuntur. ℟. In magna siccitate.

Lectio viij.

HOc facit thesaurus, qui cor hominis, aut per eleemosynã leuat ad Cœlum, aut per auaritiam demergit in terram, & ideò dixit: Vbi enim thesaurꝰ vester est, ibi & cor vestrũ erit. Homo mitte, & præmitte thesaurum tuum in Cœlos, nec cœlestem animam demergas in terram. Aurũ de profundo terræ, anima ab excelsis Cœlis: melius proinde est ad sedem animæ deferri aurum quàm in sepulchro auri anima demergatur. Exutos ergo totis diuitiarum curis, & iam per omnia expeditos, militare sibi in sæculo iubet, quos regnare donauit in Cœlo.

℟. Dñe. *Lectio ix. Ser. 23.*

O Bonitas effusa, ô inaudita pietas, ô ineffabilis affectio, in societate census; Pastor oues assumit, atq; ad consortium Dominationis seruos Dominus adsciscit: ad participatum

cipatum Regni Rex gregem Populi totius admittit. Sic sic dat, cui deficere census non potest largiendo. Prouidenter autem cœpit Dominus dicendo, nolite timere pusill9 grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum: promissionem Regni sine timore seruilis status audire non sufficit, quia qui libertate vix dignus est, capere non valet infulas Principatus. Dominus ergo seruorum mentes tali voce confirmat, ne eos repentinus promissi Regni prosternat auditus. Te Deum laudamus.

Die xxj. Octobris.

Tertia die infra Octauam SANCTI PETRI.

In primo Nocturno lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Noctur. Lectio iv.

OMnium virtutum custos, & splendor Humilitas, tàm copiosâ famulũ Dei vbertate repleuerat; vt propria æstimatione nihil sibi videretur, nisi peccator: Ab alijs speculum magnæ Sanctitatis habit9; Ipse se inutilem seruum in Domo Dei profitebatur Profusa Principum erga se obsequia ingeniosâ humilitate deludens, versicolores panniculos è cœno in via publica extrahens, tunicæ assuebat; vt sic se Aulicis deridendum præberet. In quocunq; opere ineptiora instrumenta eligere; in horto effodiendæ terræ, atq; aliundè asportandæ incumbere, vilissima quæque Cœnobij officia obire; ligna scindere, eaque proprijs humeris asportare pro more habebat. Tandẽ Seraphici Institutoris exemplum secutus, propriæ voluntatis sensum etiam in rebus grauioribus, quæ Reformationis regimen tangebant alienæ opinioni submittere summoperè gaudebat. ℟. Minister Christi fuit.

Lectio v.

EXtremæ paupertatis seruandæ studiosissimus, primæuam eius obseruantiam Ordini restituere totis virib9 adlaborauit. Cœnobia ad angustiorẽ formam ædificari, cellas tàm arctas construi mandauit vt sepulturæ speciem potiùs

tiùs, quàm humanæ habitationis præſeferre viderentur Claues conuentuũ Patronis proprijs quot annis reſignare, Fratribus præcepit; vt nullum ſuper ipſos habere dominium intelligerentur: Tunica, quâ ſolâ diues erat, omnium viliſſimâ operiebatur, ita vt morti proximus aliam deteriorem, quam enixè petebat, inuenire non potuerit; nouam nunquã geſtauit, calceamentis neque infirmus vti voluit. Egere ſe etiam neceſſarijs ſummè lætabatur, dicere ſolitus; minimè pauperis nomine dignum eſſe, cui neceſſaria, quandoquè nõ deeſſent. Aliquando à docto ac Religioſo quodam Viro interrogatus, quare habitu depoſito nudus conſiſteret: Manu tunicam ex arbore pendentem (vt ſiccaretur) indicans, reſpondit; Pater, ſi quidquam in hoc culpæ eſt, eam Euangelio potiùs adſcribe; quod nos vnica tãtùm tunica contentos eſſe præſcripſit. ℟. virtute multa,

Lectio vj.

VIrginitatẽ ſummo animi ardore colẽs, à primæua ætate illibatam ſeruauit. Per multos annos charitatis, aut neceſſitatis quacunque occaſione fœminas alloquens, in alicuius faciem oculos nunquàm conuertit; imò neque earum veſtes, vel leuiter conſpexit; quam cautelã Fratribus ſuis ſedulò commendabat. Cùm interdum carnis ſtimulis, fœdiſquè cogitationibus vexaretur, coram Crucifixi imagine in genua prouolutus, Diuinam pietatem ita deprecari auditus fuit: Ergo ne Deus meus, dum corpus tuum virginale tot cruciatuum doloribus angitur, ego in meo corpore voluptates, & oblectamenta permittam? Ad quæ verba omnis immunda cogitatio exemplo euaneſcebat; interim ardentiori ſeruãdæ puritatis æſtu inflammatus, propinquo ſtagno ſe immergebat, vt ſic omnes libidinis igniculos extingueret. In vltimo mortis agone, cùm quidam ex ſocijs pro eo operiendo leuiter ipſũ

manu

manu tetigiſſet, generoſè reſpondit; Ne me tangas fili, adhuc enim in periculo verſor. ℞. Cum introiſſ.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Euangelji ſecundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 12.

IN illo tempore. Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis; Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum. Et reliqua. Homilia S. Petri Chryſologi Epiſcopi.

De terrenorum cura deſpicienda. ſerm. 23.

REgnum velle ſeruum, crimen eſt, adire, periculum, temeritas non timere: Sed hoc ad Chriſtũ quantum eſt? aut quàm mirum, quòd dat ſuis Regnum, quòd ſibi ſeruos facit in Dominatione conſortes, qui ſeruorum pedes lauat, vt extrema ſeruis ſeruiat ſeruitute? Veniant huc, veniant, qui diſcutiunt poteſtatem eius & tunc de eius qualitate contendant, cùm potuerint tantam capere, loqui, æſtimare pietatem; nec iam calumnientur, ſi ſe in noſtro corpore Patre minorem dicat, qui non dicto, ſed & facto, cùm pedes lauat ſeruorũ, ſe ſubdidit, & ſubiecit pedibus ſeruulorum. ℞. In magna ſiccitate.

Lectio VIII.

SEd ad cœpta redeamus; Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum. Ecce qui dat, dare loquitur Patrem; nunquid largitatem ſuam denegat, ſic dicẽdo? abſit, non poteſtatem minuit, ſed pandit affectum ſic dicendo; non diſtantiam facit, ſed Patris, ſuamque voluntatem monſtrat, firmat vnitatem. Quod autem dixit, complacuit, & non dixit, placuit, munus edocet Trinitatis; Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum. Poſt tantam ergo Dominus largitatem, poſt ſuam gratiam tibi copioſiùs collatam, abiecta, & vilia peculia ſeruitutis iubet abijcere regnaturum. ℞. Domine IESV Chriſte.

Nona Lectio legitur de Sancto Hi-

cto Hilarione Abbate, & commemoratio in Laudibus.

Die XXII. Octobris.

Quarta die infra Octauã. Sancti Petri.

In primo Nocturno lectiones de scriptura occurrente.

In secundo Noct. Lectio IV.

Mira contra calumnias patientia, & in aduersis constantia à Deo insignitus fuit; sepè non verbis tantum, sed & verberibus impetitus, in Cœlũ oculos attollens pro persequentibus, & calumniantibus exorabat. In grauissimis cõtumelijs sibi illatis, sæpè ad Deũ conuers⁹ tunc verè se cognitũ, ac rectè contra se homines insurgere, prout merebatur, dictitabat. Atrocem pertinacis mulieris iniuriam, & iniectum capiti vulnus, non modo patientissimè tolerauit, verum etiam flexis coram ea genibus culpam, quam non patrarat, humillimè deprecatus est. Eiusdem cõstantiæ virtus in tolerandis infirmitatibus, precipuè enituit, ijsdem quasi continuò afflictus, remedia, vix ab obediẽtia cóáctus, ijs adhiberi permisit. Cùm pedes in saxa, caput ad portarum limina offenderet, rosas esse pœnas illas, & nihil omninò ex eis se commoueri, constanter respondebat. Tam admiranda huius tolerantiæ exempla fuere, vt iurati testes in Processu Canonizationis deposuerint, vix describi omnia posse, quæ Sanctus Vir pro amore Christi patienter sustinuit. ℟. Minister Christi fuit.

Lectio V.

Pœnitentiæ admirabile portentum Mundo apparens assiduum abstinẽtiæ rigorem strictissimè seruauit, pane solùm duro contentus; cui diebus festis herbas & legumina sine condimento addebat, & interdum cinere, & absyntij amaritudine saporem alterabat. Tres atque etiam octo dies sine cibo, dulciori orationis pabulo refectus transegit, nusquã vino vsus, vix aquam ad satietatẽ degustabat. Per horam tantùm & dimidiã somno

somno indulgens, numquam membra extensa ad quietem composuit; sed ligno parieti infixo caput leuiter inclinando, velut infensum hostem somnum fugabat. Asperrimis flagellis bis noctu vsque ad sanguinis effusionem corpus affligebat; adeò vt ad eorum strepitum, alij expergefacti exhorrescerēt. Bracteam ferream viginti annis corpori inhærentem gestauit, teste Sancta Theresia, quæ ob carnis nimiam extenuationē; & maciem, aridis arborum radicib⁹ eum comparauit. ℟. Virtute multa.

Lectio VI.

A Planta pedis vsque ad verticem capitis nulla in eius corpore sanitas apparebat. Pedes nudi, aut spinarum, aut saxorū offēdiculis quotidie sauciebantur; ijsque sanandis vnguenta admitti non sinebat. Caput nunquam obtegere solitus, aut Solis æstu adustum, aut gelu, niueque aspersum habebat; adeò vt crines, & supercilia frigore concreta euellere opus esset, Medius inter portam & fenestram, aëris inclemantiam hyemali tempore in genua procumbens excipiebat, donec totus obriguisset. Interdum habitu deposito piscinæ gelu concretæ sese immergebat. Cuius admirandæ austeritatis vestigijs eius socij adhærentes, eo animi ardore tam immanib⁹ afflictionibus corpus suum macerabant; vt illo spectaculo vrbium ciues plurimum atterriti, ad Monasteria conuolarent, eos enixè deprecantes, vt à tanto rigore sibi parcerent. ℟. Cùm introisset.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

Lectio VI. *Cap. 12.*

IN illo tempore. Dixit Jesus Discipulis suis; Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum. Et reliqua. Homilia Sancti Petri Chrisologi Episcopi. *De terrenorum cura despicienda serm. 23.*

PLebeium cultum Regia non admittit potestas, august⁹ honor nonnisi diadamate

ademate confertur, & purâ: abijcere ergo debet habitum seruitutis, qui se Regem credit diuinitùs consecratum. Hinc est, quòd Rex supernus illum, qui cum indigna veste Maiestatis eius ausus est intrare conuiuium, ligari, præcipitari, detrudi in tenebras iussit exteriores; quia deformitas inuitati ad inuitantis redundat iniuriam. Peculia quoque pristinæ libertatis, iam diuitijs, iam Regijs ditatus opibus, qui reseruat, captiuus miseriâ se nescit esse fœlicem. ℟. In magna siccitate.

Lectio VIII.

Est consuetudinis, est animi fœlicis, vt adscit⁹ ad Regnum, quod fuit proprium, quod priuatũ, mox Parentibus, mox propinquis ciuibus indigentibus liberaliter prorogare; nè sit mendicus animo, qui censu fortè auctus est, & honore. Tali ergo prouidentiâ Dominus, consilio tali, viliâ, & caduca iubet vt vendamus, vt largiamur, vt donemus, qui in cælesti Regno omnia quæ in Cœlo, & quæ in terra sunt volumus possidere. Sed si vis seruare tuorum pretia prædiorum, & sæculorum, fortè condita te delectant? fac tibi sacculos, quales ille præcipit, qui iam cupiditatis tuæ custos est, & Prouisor. ℟. Domine Iesu Christe.

Lectio IX.

Denique vt vidit, quòd duriter dixit; Vendite quæ possidetis, mox adiecit, fácite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in Cœlis. Iterum contristatus es, quia quód habes in Cœlis cogeris collocare: Rogo, crede Deo tuo, qui seruo credis; & magis Deo, quàm homini commenda; sed si times, nè quid indè præsumat, nè quid dispergat pietas largitoris, signa fidei annulo sacculos tuos; vt tali custode dormias tu securus, quia vbi ille est, ibi locus nullus est furi. Non poterit tibi tuam pecuniã denegare, qui tibi omnia sua contulit, qui te Regni sui, & honore ditauit, & gloria. Te Deũ laudamus.

Die XXIII. Octobris.

Quinta die infra Octauã SANCTI PETRI

Fit de B. Ioanne Capistrano Duplex.

Cum Commemoratione Octaua.

Die XXIV. Octobris.

Sexta die infra Octauam SANCTI PETRI

In primo Nocturno, Lectiones de scriptura occurrente.

In secundo Noctur. Lect. IV.

REgina virtutum charitas adeò Sancti Viri cor repleuerat, ac penetrauerat; vt vocem, qua Dei amor exprimeretur, audire vix vnquàm posset sine cordis immutatione, suaui eiusdem Charitatis incendio exardescens, nec cellæ angustijs retineri, nec cordis anxietates pati sufficiens, in campos, & hortos properabat; vt aëris refrigerio, æstum temperaret. A Christi præsentia diutiùs abesse non sustinens, ab horto subito impetu raptus per aëra sæpiùs coram Altari se sistebat. Quoties de hoc Diuino amore in priuatis colloquijs; vel in contionibus sermonẽ instituebat, verba tàm feruida, ac ignita erant; vt audientes ad deuotionem mirè inflammarentur; ac ipse sensibus omninò destitutus, coram ipsis in dulcissima extasi suspenderetur. Cuidam eum interroganti, quare oculos ferè nunquàm attolleret? respondit. Qui Deũ suum in corde gerit, omnia visibilia cõtemnit.

℟. Minister Christi.

Lectio V.

HÆc autẽ charitas non solum ipsum per deuotionem sursùm agebat in Deum, & per compassionem transformabat in Christum? verùm etiam per condescensionem ad proximũ inclinabat. Difficillima persæpè itinera arripiebat, vt Ciuium, familiariumque suorũ animos reconciliaret. Constitutis in aliqua graui tribulatione etiam per miraculum apparens, eosdem consolabatur. Erga Cœnobij sui ægrotos, peculiaris solicitudinis officia, quàmuis humillima

52.

exercebat? alijsque in necessitate, publica laborantibus succurrebat: Ad Monasterij portam mendicis ministrare, quin etiam eorũ capita, & membra sordida abluere, indumenta resarcire, ac lauare, pleraque alia charitatis officia illis exhibere frequentiùs consueuit. De alienis factis, Fratres suos iudicare, aut censoris munus agere nunquàm permisit; neque eos, qui de suæ Reformationis cõtradictoribus conquerebantur, audire volebat: Sed eos hortabatur, vt pro illis tanquàm pro benefactoribus Diuinam clementiam implorarent.

℟. Virtute multa.

Lectio VI.

Mirabiles Apostolicus hic pœnitentiæ Præco potens opere & sermone fructus retulit pro animarum salute; sacrum dumtaxat Codicem deferens, ex quo suæ prædicationis argumenta vnicè depromebat. Nec tantùm verbi Dei efficatiâ, sed & proprij vult⁹ pallore obsti nata corda hominum ad Dei amorem conuertebat; solitus eligere motiua sermonum aspera atque in vitijs reprehẽdendis vehementiora, quibus ex Redemptionis nostræ memoria lenimenta suauiora obduceret. In sacrarum literarum profunda intelligentia, atque in difficillimis Theologiæ locis explicandis, singularis eius scientiæ donum illuxit; quod experimento comprobarunt nonnulli Viri docti, qui antea eius famã parui pendebant. Exindè factum est, vt in pluribus sæcularium domibus, eo duce, noua oratoria aperirentur, in quibus assiduæ preces, & de rebus Diuinis colloquia miscebantur. Indè mirus animarum profectus in ijs Regionibus dimanauit.

℟. Cum introisset.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

In illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis; Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri Vestro

ſtro dare vobis Regnum. Et reliqua.

Homilia Sancti Petri Chryſologi Epiſcopi.

De terrenorũ cura deſpicienda ſerm. 25.

HOdiè Dominus Euangelici gregis puſilla, & tenera primordia, quàm blanda exhortatione ſit conſolatus, audiſtis. Nolite timere puſillus grex; quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum. Aufert ſpes anxias, dubios tollit euent⁹, omnemque propellit, & excludit timorem, quando in exordio ipſo Regnum naſcentibus pollicetur; quoniam cõplacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Quis de victu, quis de veſtitu, quis de plebeio cenſu, & vernalis ceſpitis vilitate ſuſpirat? De Regno certus, de Dominatione ſecurus, ſatis ſibi inuidet, qui eleuatus ad Summa, ipſe ſe ad humilia deijcit, ad egena deponit. ℞ In magna ſiccitate.

Lectio viij.

SEd ſcire conuenit, Pater iſte quis eſt, vel qualis eſt, vel quod Regnum filijs ſuis repromittit. Quis ſit iſte Pater, quotidiè te confitente cognoſcis, cũ clamas: Pater noſter, qui es in Cœlis; qualis autem ſit, ipſa operum magnitudine peruidiſti: Ex nihilo fecit Cœlum, terram ſolidauit ex liquido, montes ſtatuit ad ſtateram, maria intra legitimos terminos ſola præcepti authoritate concluſit. Verùm ſi Regni, quod promittit puſillis, deſideras noſcere qualitatem, ipſe aperit ſic dicendo. Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim Regnum Cœlorum. ℟. Domine Ieſu Chriſte.

Lectio IX.

ESſe in Cœlo mirum eſt, in Cœlo viuere eſt Maieſtatis; iam regnare in Cœlo quanti ſit, ſenſus deſinit æſtimare mortalis; Et tamen homo quod æſtimare non potes, percepiſti, Apoſtolo ſic dicente: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe; & quod te mereri dubitas habere te, & poſſidere, iam cogeris cõ-

fiteri. Quid ergo cum terra illi, qui possidet Cœlũ? Quid illi cum humanis qui adeptus est iam Diuina? Nisi fortè placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, & illata mala bonis sunt gratiora collatis. Te Deum laudamus.

Die XXV. Octobris.

Septima die infra Octauã SANCTI PETRI.

In primo Nocturno lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Noctur. Lect. iv.

ASsiduo altissimæ contẽplationis pabulo refectus, præclarum de oratione Tractatum propria experientia, & Dei illapsu edoctus conscripsit. Singulari deuotionis reuerentia venerabile Eucharistiæ Sacramentum prosecutus, eo spiritus ardore sacrũ Mysterium peragebat; vt plures eius cælebratione magis ad pietatẽ, dum, persæpè in extasim raperetur quàm aliorum sermonibus se commotos fuisse profiterentur. Hanc deuotionẽ Dominicæ Passionis meditatione summoperè fouebat, pro qua vbique, & præcipuè in locis eminentiorib9 Cruces erigi curauit, vt ad eius aspectum omnes ad baiulandam Christi Crucem, inuitaret, animaretq;. In Conuentu Pedrosi, Caluarij quamdam imaginem, ad viuum exprimi fecit; vbi persæpè ante Crucem brahijs expansis iuxta morẽ feruenter orans tot9 in eum transformabatur, cum quo crucifigi ardentissimè cupiebat. ℟. Minister Christi fuit.

Lectio V.

ACcessit ad hanc altissimi spiritus vnionem, mira eiusdẽ corporis eleuatio; dum in Choro orãs, & in Dei contemplatione absorptus, aliquando vsque ad laquearia spiritus ardore; sæpè ad radices arborum in genua prouolutus, supremos ramos, velut auis volando contingeret: In itineribus cõtẽplationi intentus, multis à solo palmis eleuari à via toribus visus fuit. Semel Crucẽ in horto Pedrosi deuotis oculis contemplantem

tem ſurſum ferri, & in aëre coram ipſa ſuſpendi; lucidiſſimos quoquè ex oculis radios in eandem Crucem emittentem, candidamque nubem caput eius circumdantem, totã inſuper viciniam eo ſplẽdore illuſtratam, obſtupeſcentes Fratres conſpexerunt. Non ſemel Chriſti Saluatoris præſentia perfrui promeruit: Virgo quoque Deipara ſe ei viſendam exhibuit, & Sanctus Franciſcus, alijq; ſpiritus cœleſtes cum Conciue ſuo familiariter colloquebantur. ℟. Virtute multa

Lectio VI.

PRophetiæ dono illuſtris, quæ ventura erãt, prænunciabat. Quemdã adoleſcentẽ benedictionem ſuam enixè efflagitantem, cùm ab Vrbe quã primum decedere decreuiſſet, de graui diſcrimine, quod illi imminebat, in hæreticã ſcilicet quandam opinionem incidendi, præmonuit. Scholarem alium reſpiciens, mundo quàm primùm renuntiaturum, ſacrumque Religionis habitum ſuſcepturum diuinitus agnouit. Eodem ſuperno lumine, intima conſcientiarum ſcrutabatur, ac miraculoſè (cum longè diſtaret) pœnitentibus ſuis interdũ ſeſe viſendum præſtabat, dulciq; colloquio inquietos eorum animos ſedabat. Infuſam hanc Sancto Viro Diuinorum cognitionem comprobauit Deus in admiranda, illa noui ſyderis apparitione, cúm ipſe Vrbem Auilam ad conſolandam ſanctam Thereſiam primùm acceſſiſſet; & in candidiſſimæ illius columbæ viſione, quæ caput eius circumuolitans, humeroque deinde reſidens roſtrum auri immiſit, quaſi cœleſtem ei doctrinam dictare monſtraſſet. ℟. Cum introiſſet.

In III. Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 12.

IN illo tempore Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis. Nolite timere puſillus grex: quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum. Et reliqua.

Homilia

Homilia sancti Petri Chrysologi Episcopi.

De terrenorum cura despicienda. Serm. 25.

VIdeamus, quod dat Pater tantus, cosilium regnaturis. Vendite quæ possidetis, & date eleëmosynam; Si victuros vos, si regnaturos, si vos iam diuites esse creditis in supernis, vbi futuri, quò migraturi, vbi regnaturi estis vos, illa quæ vestra sunt, iam præcedant, opes miseras cum misericordia commutate, quæ humana sunt, in Diuina conuertite. Et ne cui forsā deesset euectio ad portanda illa, quæ dimittitis, angariatus est pauper; ferunt pauperes onera nostra, & volentes ferunt, quia tali non deprimuntur pondere, sed leuantur. ℟. In magna siccitate.

Lectio VIII.

ECce docet auaritiam qui cœperat suadere contemptum. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt; & qui thesaurizantes temporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomitem iubet sacculos sine fine perquiri. Christe, quo te pertrahit amor tuorum? Vt auarum lucri facias facis eũ quod desiderat; non quod oportet audire, saccullos imperas, æternos thesauros, qui non deficiant, vis parari: vt auarus, dũ cõsueta percurrit ad lucra, aut virtutẽ capiat aut à virtute capiatur: Verè Pater es, qui cũ tuis quibuscunque paruulis sic agis. ℟. Domine IESV Christe.

Nona Lectio legitur de Sanctis Mart. Chrysantho: & Daria cum commemoratione in Laudibus.

Die xxvj. Octobris.

OCTAVA S. PETRI
Duplex.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

COnfirmauit quoq; Deus insignem Serui sui sanctitatẽ innumeris miraculis. Aliquando niues è Cœlo decidentes, mirabiliter in aëre suspẽsæ in modum testudinis tectum quoddam ei efformarunt; sub

sub quo noctis, ac tempestatis incommoda securior euasit. Dum sacra interdum in aperto campo perageret, solùm illud loci spatium (vbi Populus Missæ præsens erat) nec aquæ quidem gutta, nec venti minima vis attingere ausa fuit. Aliàs pluuia de Cœlo cadente siccis vestibus per publicas vias incessit; In magna siccitate precibus suis copiosum à Deo imbrem obtinuit, baculum suum, vt Fratrũ occurreret necessitati, deuotè terræ infigens, mox Diuina virtute fructiferum reddidit; Rapidos fluuios siccis pedibus pluries pertransiuit. Accensum ignem in quodam Conuentu per flammas ipsas innoxius incedens sine mora extinxit. Sicque sanctificatis Viri Sancti sensibus omnia elementa obsequium præstiterunt.

℟. Minister Christi fuit.

Lectio V.

PLures graui morbo laborantes à mortis discrimine reuocauit. Demersum in puteo infantẽ, chorda qua cingebatur, in eum locum demissa, mirabiliter extraxit. Mulieris oculos luce orbatos leuiter tangens, data ei benedictione, protinus illuminauit. Iter faciens sæpiùs socijs lassitudine confectis cõpatiens, opportunã eis escam, & aquæ fontem à Deo impetrauit. Fœminam quandam à Dæmone per multum temporis deceptã, de praua illa consuetudine, quam cum maligno Tentatore ignoranter habuerat, commonefecit; atque audita eius Cõfessione eam, pluresq; alios vexatos à Spiritibus immundis liberauit. Hinc maximus Populorum ad eum fiebat cõcursus, ipsũquè tanqàm hominem à Deo missum, nouumq; Apostolum acclamabant.

℟. Virtute multa.

Lectio VI.

TAndem post multos labores, ac diuturnas infirmitates, quas semper cõstanti pertulit animo, Anno Dñi. millesimo, quingentesimo sexagesimo secundo; cùm annum sexagesimum tertium perageret, Arenis graui morbo decum-

decumbens, Fratres suos ad paupertatis extremæ cultum obnixè cohortatus est. A Deipara & à S. Ioanne Euangelista visitari, atque ab ipsa Augustissima Trinitate sibi in maxima claritate apparente ad cœlestes nuptias inuitari promeruit. Demum Psalmo, Lætat⁹sum in his quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus, cum ingenti cordis exultatione recitato; paulo post humi in genua procumbens ea quam predixerat hora, in Domino sanctè obdormiuit. Eodem tempore Sanctæ Theresiæ magno splẽdore coruscans apparuit, seque ad requiem pergere, & fœlicem esse pœnitentiam, quæ tantam sibi pro meruerat gloriam, indicauit. Eius corpus in Ecclesia Fratrum discalceatorũ Sancti Francisci Arenis depositum, singulari Populorum veneratione inuisitur. Tandem plurimis fulgentem miraculis CLEMENS Papa Nonus anno Domini millesimo sexcẽtesimo sexagesimo nono, in Sanctorum numerum retulit. ℟. Cùm introisset.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

Lectio VII. Cap 12

IN illo tempore. Dixit Iesus Discipulis suis; Nolite timere pusillus grex; quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum. Et reliqua.

Homilia sancti Petri Chrysologi Episcopi.

De terrenorum cura despicienda Ser: 25.

DOmine tu vidisti, quia in thesauris tota fides, tota spes in sacculis sit auaris, & ideò imputribiles in Cœlo sacculos vis parari, vt qui te non sequitur ad Cœlum, sequatur saltèm sacculus suos. Auare, fac tibi sacculos, & fac iubente Deo, quia votis tuis annuit Diuina Maiestas; sed fac tibi sacculos erogando, quia quidquid pauper acceperit, Pater cœlestis suscipit, & vbi recondit? in Cœlo. Et ne forte perdidisse te doleas, vel vsuram centuplum in cœlesti fœnore recipies, quidquid in Cœlum paupere

pere transmiseris perferente.

℟. In magna siccitate.

Lectio VIII.

VSura Mundi centum ad vnum, Deus vnum accipit ad centum; tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsitan de cautione solliciti, quare? Nonne homo homini exiguæ chartulæ obligatione cõstringitur? Deus tot, & tantis voluminibus cauet, & debitor non tenetur? sed dicis, e-stò quòd debeat, quo exigente restituet? se ipso; quia non potest ille mentiri, idem Ipse est, & executor, & debitor. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo; crede homo Deo, quod tibi Deus dedit, maiora reddere vult, cum vult debere Largitor.

℟. Domine Iesu Christe.

Nona lectio legitur de S. Euaristo Papa, & Mart. cum commemoratione in Laudibus.






J